κάσασθαι, pro ἀπολογήσεσθαι et ἐπιδικάσεσθαι. Melius etiam reposuisset futurum II. 32: ὠμόσαμεν εὖ ποιεῖν ἀλλήλους ἐκ τοῦ ἐπιλοίπου χρόνου, imo vero εὖ ποιήσειν, et VIII. 1. ubi verum est ἀφανιεῖν ἐλπίζουσι pro ἀφανίζειν, et XI. 22, ubi scribendum est: προσδοκῶν τούτοις τοῖς λόγοις ῥᾳδίως ὑμᾶς ἐξαπατήσειν pro ἐξαπατῆσαι.

Quamquam hi omnes manifesti errores sunt tamen iis qui talia intacta reliquerunt aliquid veniae dandum est propter Codicum omnium communem corruptelam. Non est ullus cuiusquam Oratoris Codex, non ulla editio huiusmodi erroribus vacua. Duo exempla vide. Apud Antiphontem est I. 14: ἦν αὐτῷ παλλακή, ἣν ὁ Φιλόνεως ἐπὶ πορνεῖον ἔμελλε καταστῆσαι, pro καταστήσειν. Apud Demosthenem p. 764, 15. Dindorfius edidit: ὃς εἷς ὢν καὶ οὐ δήπου μέλλων καταλύειν ὑμᾶς ἀλλὰ τοὐναντίον αὐτὸς ἐν ὑμῖν — ἀπολέσθαι, ubi alii libri servant lectionem vel invitis libris omnibus restituendam μέλλων καταλύσειν — ἀπολεῖσθαι.

Ad Isaeum propediem revertar.

C. G. C.

RIDICULUS ERROR E PLATONE REMOTUS.

Editur in Platonis libr. de Leg. XI. p. 932 C: ἐὰν δὲ τῶν ἀμελειῶν περὶ γονέας μὴ ἀφιστῶνται — εἰς δικαστήριον εἰσαγόντων αὐτοὺς εἰς ἕνα καὶ ἕκαστον τῶν πολιτῶν οἵτινες ἂν ὦσι πρεσβύτατοι ἁπάντων. ἂν δέ τις ὄφλῃ τιμάτω τὸ δικαστήριον ὅ,τι χρὴ τίνειν ἢ πάσχειν. Mirificum est hoc iudicii genus, quod quomodo peragi potuerit difficile dictu est, si reus εἰς ἕνα καὶ ἕκαστον adduci debuerit. Neque hoc facile est ad intelligendum quomodo dici potuerit οἵτινες ἂν ὦσι πρεσβύτατοι ἁπάντων nisi de certo ac definito iudicum numero. Omnes has difficultates una litterula exemta removebit. Iudices *centum et unus* in illo consilio sedebant. Emenda: εἰς ἕνα καὶ ἑκατὸν τῶν πολιτῶν οἵτινες ἂν ὦσι πρεσβύτατοι ἁπάντων.

C. G. C.